

h.74,27.

X 200 5097

Y a  
2017

MASTUM  
GENERALI  
MISNIAE  
ET  
SPECIALEM  
DRESDAE  
AUSPICE CHRISTO  
ET  
PRÆSIDE  
CHRISTIANO GUEINZIO, J. U. C.

Acroaterij Hallensis Rectore Celeberrimo, Præcep-  
tore & Patrono suo nunquam non aman-  
do, colendo,


publicè sugendum propinat.

GOTHOFREDUS Nißschman/  
DRESDA - MISNICUS.

Ad diem 23. Martij. Anno Epochæ Christianæ M. DC. L.

Mastus à μαζῷς hoc locō, uti apud Paphios, usurpatut  
pro poculi genere, allusivè vertitur ein Nißschfänlein/  
Vid. Iul. Pollux in Onomastico lib. 6. cap. 16. & Henricus  
Steph. in Lexico græc. pag. 767.

HALLIS, è Chalcographeo OELSCHLEGELIANO.



V I R I S  
AMPLISSLIMIS, CONSULTISSIMIS, JUXTIM,  
PRÆSTANTISSIMIS, PRUDENTIA, AUTORITATE,  
OMNIGENA VIRTUTE, ERUDITIONE PRÆ-  
CELLENTISSIMIS.

D N. C O N S U L I B U S ,  
T O T I Q V E O R D I N I S E N A T O R I O  
I N C L U T Æ D R E S D E N S I U M R E I P U B L :  
D I G N I S S I M O , S P E C T A T I S S I M O ,  
M E C O E N A T I B U S , M U S A G E T I S , S I M U L A C  
P R O M O T O R I B U S S U I S O M N I O B S E R V A N T I Æ  
C U L T U E T V U L T U P E R P E T I M  
D E V E N E R A N D I S .

M A S T U M H U N C P A T R I Æ S U Æ I N F A V O R I S E T  
P R O M O T I O N I S I N C I T A M E N T U M .

Humillime

Offert, Dicat & Consecrat:

A U C T O R - R E S P O N D E N S .



FAVENTE JESULO!

## ANTEPAGMENTUM.

Aximi estimij Viri Lipsij lib. i. c.

**M** 10. de Const: est dicterium: Patria est, quæ nos excepit, fecit, aluit: communigen-  
tium sensu, sanctissima & antiquissima pa-  
rens. Prinde haut absolum erit si eandem  
ut matrem germanam adamemus; Et hinc  
aureum illud Eloquentiae flumen Cicero Of-  
fic. i. inquit: Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familia-  
res, sed omnes omnium charitates patria una complexa est. Ex  
quo fit, quemadmodum idem 3. de fin: habet, ut deceat chario-  
rem habere patriam quam nos met ipsos; Idemq; Lipsius d.l. ait:  
Vis magna & alliciendi & attrahendi in natali solo, quod primum  
corpo nostro pressimus, pedibus inslitimus; cuius aërem hausi-  
mus; in quo infantia nostra vagit, pueritia lusit, juventus exerci-  
tata & educata est: ubi familiare oculis cælum, flumina agri: u-  
bi longa serie cognati, amici, sodales & tot gaudij illecebrae, quas  
frustra terrarum alibi querimus. Præterq; ita descriptam Patriæ  
jucundam amœnitatem diuinus Plato in Menexemo omnes ad  
summam illius charitatem cohortatur; cuius est precepti pius ex-  
secutor fuit sanctiss: Ulysses, qui, uti Cic. i. de Orat: mentionem  
facit, Patriam suam Ithacam in asperrimis saxulis tanquam nidu-  
lum affixam immortalitati apud Circen longè anteposuit, vid.  
Homer. in Odyss. Propterea cum & ego [sicut ingenuorum  
quisq;] non Patri & Matri solum, sed & Patriæ natus sum meritè  
eandem ubi vagij, ubi - - primò puer olim in cespite lusi,  
bonoro. Et quam jucundum est, silvam amœnam aut hortum be-  
nè constitum abire; tanto est dulcior, Patriam sic animo intueri,

A 2

ut fin-

ut singula ejus provinciae, urbes, & oppida sub adspectum venire videantur. Evidem honestum & liberale semper fuit habitum ea cognita habere, quae ad Patriam pertinent: Turpe vero in Patria sua peregrinum atque hospitem videri. Cumq; nescire quid, antequam natus sis, acciderit, sit semper esse puerum: annon infantis similis judicabitur is, qui Patria sua ortum, incrementa & acta memorabilia ignorat? Propterea ne ignorem in Patria, quae acciderunt mea propato. Sit ergo Iesu favente.

#### THEISIS I.

*Misnia describitur vel in genere, vel in specie;*  
in genere vel totaliter, vel partialiter; Totaliter  
quoad situm. *Misnia sita est respectu inferioris Germaniae & Saxonie versus Orientem.*

Jacet enim in ea parte, ubi adiacet Principatus Schneebergensis & Graviatus Hennebergensis: Et comprehensa est quasi quodam triangulo inter Salam, Albim & Sudetes montes, uti habet Dress. p. V.  
de precip. Germ. Vrb. p. 42, Cujus ad Meridiem basis est longa, nempe juga montium, qui Sudetes a Ptolemeo appellantur, quibus Bohemia dirimitur a Misnia. Suntq; in extremis oris basis duo insignia oppida, Pirna & Plavia. Latus a Pirna orientale sine ulla dubitatione est Albis: Latus vero ad Occasum a Plauen est fluvius Pica, a quo græcum nomen est urbi Cittæ. Unde Pica Lipsiam præterfluens non procul a veteri Imperatorum arce Mersburg in Salam infunditur; ut sit non procul inde trianguli caenum ubi Sala in Albim descendit. Constituuntur enim historicorum more limites conspicui & durabiles. Cum autem celebratissimum flumen sit Albis, quam in parte orbis terrarum sita sit hæc regio Misnia, exter etiam scire possunt. Melanchth. p. 218, in Orig. Misen. Vid. CL. Praes in Geograph. Poleno.

II. Et quoad statum. *Misnia exsuperat alias provincias Germaniae.*

Laudatur i. ab incolarum virtutis præstantia. Tacitus in libell. de Germ. mor. ait: In Hermunduris (quos terras has ad Albim antiquitus coluisse Strabo lib. 7. testatur, in cuius libris non reætè legi Eumunduri è Plinio & Tacito constat) plus fuisse disciplinæ & artium quam

quam cœteris Germanis. Homerus itidem laudat Mylos (quos quidam etiam Misnios fuisse credunt) à justitia, virtute bellica, & temperantia, Vid. Melancht. de Orig. Misn. p.m. 219. 2. Ante cellit etiam Misnia alias provincias metalliferarum venarum abundantiam. DE enim beneficio ad basin trianguli aliquot milliaribus venas habet gignentes cum alia metalla, ferrum, plumbum, stannum, etiam aurum, tum vero plurimum argenti. Ex quibus proventibus etiam aliquot oppida condita sunt, ut Annæberga ex metallis in monte Schreckenbergo, Dres. de præcip. Germ. urb. parte V. p. 115. & seq. Sic Dipoldisvalda oppidum & arx ex argenti fodinis exstructa est, Idem p. 201. Arx quoq; Misnensis inchoata est ab Ernesto, perfecta & absoluta tandem ex opulentia metallorum Annæbergensium ab Alberto Duce Saxon: anno Christi 1471. Id. p. 449. Sic quoq; Schnebergæ anno ECCE. CVI. COMETA. LVXIT. seu 1472. uberrimus proventus metalli fuit, ut testatur Fabricius in Annal. Misn. p. 68. à quo primordia traxit Dres. p. 544. d.l. &c. Multa quoq; sunt naturæ miracula, ubiunq; sunt venæ metallicæ, quæ sine magna varietate artium & machinarum è terra erui & percoqui non possunt. Quare facile intelligere est, multos in nostris locis esse ingeniosos artifices, multos etiam, qui regunt opificum manus, cognitione Arithmeticæ & Geometriæ pollere; multosq; qui naturam rerum in terra nascientium diligenter contemplantur, ut eas ad usum in medicatione transferant. Melanchth. p. 220. C. Tac. de Germ. morib. scribens de Germaniæ metallis sic ait: Argentum & aurum proprijanitati negaverint, dubito. Ex quibus verbis perspicue intelligi potest, nullas metallorum fodinas olim in Germania existisse. Tamen idem Cornelius adjecit, Nec tamen affirmaverim nullam Germaniæ veniam argentum aurumq; gignere, quis enim scrutatus est? Ast hodiè plurimi scrutantur, & reverâ inveniunt Germaniam præ ceteris regionibus metallis abundare. 3. A lingua nunc temporis pura elegancia, ex communi consensu omnium Germanorum. Lutherus.

III. Sic fuit Misnia spectata totaliter; sequitur partialiter vel definiendo, vel dividendo; Definiendo tum Nomen; partim per refutationem: Misnia non deducitur à Mysis.

A. 3,

Equi-

Equidem reperio magnæ eruditio[n]is viros non modo inclinare, verum etiam frequentes in hanc sententiam ire, quâ dicitur, Misniam à Mysis Europæis nominis & incolatum trahere originem, inter quos Reusnerus de Orig. Misen. p. 188. 212. & seqq. qui ex Reinevi Reineccij germanicè scripto hunc tractatum latinum reddidit, & Phil. Melancht. in Oratione de regione & gente Mysorum recitatà à D. Iohanne Homilio ex Strabone & Dithmaro, &c. hanc deductionē Misniæ approbant: Interim tamen Melanchth. hæc addit p. m. 220. Si cui autem hæc conjecturæ non placent, non pugnamus de hac nostra opinione, & ostendi nobis certiorem originem petimus. Myli autem illi, à quibus nostram Patriam nominatam ajunt, ortum suum habuerunt à Mase, qui unâ cum Gether inter filios Sem: nominatur, Gen. 10. 23. 1. Paralip. 1. 16. quos versus Orientem in Asia habitasse Ptolomæus testatur, dum Massæos in Scythiam collocat, vid. Reusn. d. l. Fuerint primù[m] Scythiæ populi, inde in Bithyniam transierint, rūm in Europam & Asiam commigrarint, tandem in hanc oram devenerint: Quod si concedimus nos Misnici[s] sive Misnenses ex Mysia traductos esse, γνήσιον illud, ut genuinum & germanum decus atque ornamentum non habebimus. Dresß. p. V. Isag. Hist. p. 42. Quos tamen αὐτόχθονες indigenas non adventitios, sed in ipso solo natos probatissimæ fidei C. Tacit. de Germ. morib. aperte asseverat. Myli enim Germani non sunt, itaq; nec Misnenses, si à Mysis venissent, Germani possent haberi. Jam si Germani non sumus, nec à Thuiscone nec à Japheto procreati sumus, quod genti Misnicæ parùm honorificum fuerit. Mysorum insuper populus usq; adeo contemptus fuit, ut proverbio locum fecerit, quotiescunq; enim hominem nullius pretij volebant denotare, Mysorum extrellum & ultimum esse dicebant. Vid. Münsterus in Cosmograph. p. 984. in Mysia, & Onomasticon Calepino annexum pag. 241. Strabo Geogr. l. 12. Cic. in Orat. pro Flacco & ad Q. Fratrem. Erasmus deniq; Roterod in Chiliad. 1. Cent. 6. p. 220. Quod de Misnicis nemo verum dixerit. Perperam quoq; præterea scriberemus Misniam & Misnensem provinciam per i. cum Græci scribant μύσης per v. vid. Dresß. pag. 9. & seq. d. l. Quid quod Tacitus de Germ. morib. inquit: Quis relictâ Asiâ, Africâ aut Italiâ Germaniam peteret informem terris, asperam cœlo, tristem cultu adspexit, qualis id temporis fuit?

IV. Par.

**IV. Partim per assertionem; Misnia derivatur  
ab urbe vel fluviolo Misna.**

Namq; est eorum conjectura probabilior, qui à Misna fluvio-  
lo infra arcem Misnensem versus Septentrionem (cingitur enim urb.  
Misna tribus fluminibus, ab ortu Albi, fluvio navigabili, à meridie:  
Tribis torrente & tandem hoc rivulo à Septentrione) in Albim <sup>Vid. L. Schneideri  
Chronic. Lipsiens. lib. 1.  
pag. 15. usq. 25.</sup> delabente nomen inditum urbi Misna, atq; adeò toti regioni existi-  
mant. Usitatisimum enim est, à vicinis flaviis urbes denominari &  
sicut Chemnitium à Chemnitio fluvio, Moguntium à Mogono seu  
Mæno, qui ibi cum Rheno confluit & miscetur: Sic Vienna Austriæ  
metropolis dicta à Vena fluvio: Sic Thyrigetas à fluvio Thyra deri-  
vant: Moscoviaæ quoq; nomen à fluvio Mosca. Inde q; ad totam re-  
gionem provenit. Constatq; adeò longè antiquiores & durabiliores  
esse fluminum appellationes quam urbium aut oppidorum. Quod  
ipsum etiam Dithmarus comprobat, vid. præter hunc Dresß. de præ-  
cip. Germ. Vrb. p. 10. & Fabric. de rebus Misn. p. 20. Item Münter, in  
Cosmogr. lib. 3. p. 712. Proinde si à Misna fluviolo Misna urbs, & Mi-  
snia regio nomen invenit, nullum dubium est, quin etiam ipse po-  
pulus Misnicus seu Misnensis ab eodem rivo appelleatur. Quod si te-  
nuerimus non iam ab exteris, sed à Germanis, id est, à Suevis, Her-  
munduris Misnenses derivabimus: Quod ipsum etiam Strabo adfir-  
mat lib. 7. Ex quo Romæ quoq; ante ædem Minervæ in lapide tu-  
muli, Nicolaus Schönbergius Cardinalis Suevus Misnensis appellatur. <sup>dict. Schneid. Chron. p. 8.</sup>  
Quo loco & illud advertendum, quod antehæc quoq; aliis nomini-  
bus appellata & vocata: nempe Dalemincia, ut appareat è literis <sup>eg. d. Chron. p. 12. sq.</sup>  
Iohannis XIII. Pontificis, appellata à Boëmis Sirbia, ut scribit Cosmas  
Pragensis, dicta à Sclavis sive Vandalis Lommacia, sive Lummacia,  
ut legitur in Dithmari Præfilio Mersburgij Chronico. & in Rensn. tra-  
stat. de Orig. Misen. Vid. Rithauner in Cosmogr.

**V. Tum ipsam rem; Misnia est Marchionatus,  
cujus metropolis est Lipsia, tum verò sedes Ducum Sa-  
xonie Dresden; Abundans provincia auri argenteivè  
fodinis, ubi adjacet Principatus Schneebergensis &  
Graviatus Hennebergensis.**

Cum

Cum enim Henricus Auceps Rom: Imperator ethnicos quosq;  
populos plurimam partem ex hisce provinciis fugaslet, regiones has  
certis finium limitibus partitus est, & Marchionatus Brandenburgi  
adversus Hunnos & Vandalicos, *Landsbergi* contra Sorabos, Mi-  
snia vero & *Lusatia* limites adversus Bojemos & Ungaros erexit, uti  
habet Laurent. Faust. in *Geschicht- und Zeitbüchlein der Stadt Mef-  
sen* p.m. 3. § 4. ut ita irruptionibus illorum in Rom. Imperium illis  
in locis resisteretur. Marchionatus namq; in Imperio ejusmodi ini-  
tium habuisse hocq; in principio Marchionum munus fuisse, præter  
veteres historias testatur nomen ipsum: cuius derivatio est à voca-  
bulo *marcē* quod in prisca lingua Germanica significat fines s. limi-  
tes: unde adhuc dicimus eis *Marchstein*. Estq; vocabulum Marchia  
nequaquam ex græco *μαρχία*, abscissâ primâ syllabâ, uti Schön-  
born. *Polit.* V. cap. 39. p.m. 559. in ea est opinione; sed à Germanico  
*marcē* deductum, ut idcirco Marchia significet præfecturam limitis.  
Reusn. de *Orig.* Misén. p. 215. Derivant alij etiam à *Marcomiro Fran-  
corum Duce*: Alij à *Marcomannis* equitatu pollutibus populis, ut  
*Alciat* : tract. de *Duello* c. 32. p. 54. quos aliquando terum potitos esse  
constat in Marchia Brandenburgica, deducunt: Alij à *mari*: quæ In-  
terpretatio Feudistarum est ineptissima ad cap. 1. *Quis dicitur Dux*.  
Alij à *Marcisia* celtico vocabulo, quo denotatur ala equitum. B.  
*Rhenanus* *March* sive *March* equum significasse apud veteres Gallos  
docet ex Pausania, (ut apud veteres Germanos) atq; hinc equorum  
seu stabuli magistrum *Marchstaller* & equitum præfectum *March-*  
*graf* etiamnum appellari: Sed Mar pro quo alia vox est quam  
*Marchē* nempe à *Mahr*. Ex qua superest in lingua nostra *Mehrē* pro  
*equa*. Annotavitq; in *Parerg.* *Alciat*. & apud Gallos hodiè usurpari  
*marcare*, pro eo, quod est *equitare*. Verum enim vero conjecturis me-  
ris non argumentis rem agere mihi videntur; Satiūs est dicere à  
*marca* sive *Marchē*/prædictā voce germanica derivari: Unde & latinū  
*margo*: Nam & margo est rei finis. Hinc pro ipsa regione limitata &  
suis finibus circumscripta ponitur. *Merck*/neutro genere das *merckē*  
est signum. Ideo autem hoc à *Marcke*/sive *margo*, quia *margo* est no-  
tabile signum, undē cognoscitur & quo discerit traxus aliquis,  
*Vid. Andreas Velleius*. *Marcae* autem nomine non tantum integra  
rura certis distincta limitibus: sed amplissimi quoq; provinciarum  
traxus,

tractus, quos nunc pagos, nunc civitates atq; regna etiam Latini dixerunt, nuncupari venerunt. Unde hæc Etymologiæ ratio potior plurimis videtur. *Vid. Matth. Martini in Lexico suo Philolog. in voce Marca pag. 1838. & dictione Marcha p. seq. Simon Schardius in Lex. Iuridico in voce Marchio & Marchiones p. 564. Calepinus in voce Marchion. p. m. 907. Beckmann. in Orig. Lat. Ling. p. m. 280. Vult. I. de Feud. 4. n. 14. post Albertum Crantzium Petrus Heigius lib. 1. qq. 2. n. 57. Schönborn. Polit. V. c. 39. Keckerm. in Syst. Polit. lib. 1. cap. 21. p. m. 346. Elias Reusn. de Orig. Misen. pag. 200. Addatur & præprimis CL. Dn. Præses in dict. Polem. Geograph.*

**VI.** Sic fuit definiendo ; sequitur dividendo in status ; quorum alius est superior, alius vero inferior: Superior est vel Ecclesiasticus, qui agit de religione. Misnici sunt devotè pīj & solā modō purissimā Lutheranā utuntur publicè religione.

Summum quippe bonum est in societate hominum **VERA DEI AGNITIO**, quæ ut in hac regione perspicuè luceat DEI beneficio Ecclesiæ rectè sunt constitutæ, sonantq; Evangelij vocem sine corruptelis & sine dissidiis : atq; in congressibus publicis magna est frequentia hominum modestè convenientium ad conciones & ad communem precationem, uti testatur Melanchth. d. l. p. 222. & seq. p. 224. Idem laudat etiam Misnicorum studia erga religionem, quod populi mores congruant ad præcepta DEI, & quod magistratus idolatrias severissimè puniant, qui cyclopicis sermonibus DEUM contumeliis afficiunt. Item quod legitima servent connubia; quodq; disciplina domestica in urbibus eò melior, quia plurimi cives ut nusquam alibi norunt utcunq; literas, & domi sacros libros legunt, uti pluribus d. l. legere est. Ab initio quidem tota provincia tenebris gētilibus involuta fuit. Tempore vero Caroli Martelli, Carolomanni & Pipini primus Episcopus fuit Moguntiæ Bonifacius constitutus ex Anglia oriundus, qui cum reformans Bavariam, Thuringiam & alias regiones pervagaretur, tandem etiam in Misniam ad Sorabos & Dalemincios, qui tunc temporis incolebant eandem, devenit, concionatusq; est Evangelium de Christo, baptizavit & convertit multos. Cum vero idem anno C. 755. pro religionis cultu constanti

B

in Fris.

In Frislandia diem suum obiisset Ethnici iterum defecerunt & pri-  
stinam viam triverunt denuò. Collegæ verò ipsius Bonifacij *Lullus*  
& *Ludigerus* docti uterque viri reformationem iterum suscepérunt.  
Et legitur eō tempore circa *Colditium* ad pagum Selitz vetus fuisse  
fanum ubi perpetuò reformati Christum confitentes in magna fre-  
quentia confluxerunt. Tandem DEUS ipse excitavit *Carolum M.*  
qui COMPELLE INTRARE cum ipsis gentibus Germanis lude-  
te cœpit. Post hunc Imperator *Ludovicus Pius Misniam* fovens sa-  
crificia illa gentilia magnâ adhibitâ severitate planè sustulit & Chri-  
stianam religionem introduxit, atq; templo multis in locis exstruxit:  
Provinciales deniq; vicarios ipse constituit, qui religionem puram  
tuerentur, quiq; propterea multos labores sustinuerunt, usque dum  
*Heinricus Auceps & Otto Imperat.* Episcopatus Cicensem, Metzbur-  
gensem &c, & marcas aliquot contra ipsos gentiles erexerunt. Vid.  
*Laur. Fausti Churf. Sächs. Stamb Baum p.m. 39. & 40.* Et cum singula-  
re fuerit, non debet h̄ic silentii peplo involvi ipsorum Misnenium  
cultus divinus, qualis neq; in tota Germania, nedum Romæ quidem,  
unquam fuit. Etenim institutum est M. CCCC. LXXX, ab Electore  
*Ernesto Duce*, ut in Basilica Misnensi diebus noctibusq; sine inter-  
missione distributis operis caneretur. Erant autem ad id destinati  
**Canoni 14.** & totidem eorum Sacellani & Vicarij 60. plus minusve.  
Ex his septem *Scoti* nominabantur, qui in unâ domo pariter habita-  
bant, hisq; minister erat, quem *Iesum* appellabant, qui minima  
officia exequeretur, nam quod nemo vel insimus hominum facere  
volet, id illi Jesu imponebatur. Erant *Chorales* 12. à tomba Princi-  
pum dicti. *Grabati* 15. quos Dux Ernestus addidit: Erant ab hora  
octava nocturna appellati *Ottaviani*; erant duo *Oculi* nominati, al-  
ter *Decani*, alter *Præpositi*, qui chorum inspicerent & inchoarent can-  
tica. Hi divisis temporibus ita alternarim suis muneribus fungeban-  
tur, ut cantionibus neq; diurnum neq; nocturnum tempus unquam  
vacaret. Hujus rei unicum legitur exemplum de *Carolo IV.* qui Pra-  
gæ 24. Patres constituit in uno templo. Sed tandem tandem propter  
idololatricos cultus. Vid. *Laur. Faust. in Act. Misn. p.m. 27, 28. &*  
*Fabrie. in annal. Misn. p. 69.* Dolendum autem, inò diffusissimis la-  
crymis est deplorandum, quod Patres nostri vix **CHRISTUM** in-  
ducrunt, & cum eundem vix nosſent, ab eo abstracti ad supersticio-

nem & sanctorum invocationem per Pontifices Romanos seduti sunt. Quanquam ex his ipsis etiam tenebris emicuit interdum scintilla veræ fidei in CHRISTVM in p̄is quibusdam hominibus & lucem veritatis magno desiderio exspectantibus. Jacuit tamen sub his superstitionibus Pontificiis Misnia diu nimis usq; dum per Illustriss. Principem Henricum post mortem Georgij fratris forma religionis mutata est anno C. 1539. Quo anno etiam Tumba Benonis, de qua videri potest Laurent. Faustus in act. Misn. p. 20 & seq. ante annos 15. ereta, seposita est. Canonicis & sacerdotibus, qui doctrinam Evangelij amplecterentur, & officio aliquo Ecclesiastico fungi vellent, manere in urbe permisum: Qui aliter sentirent, ijs relictum deliberandi spatium: qui pertinaces essent, cōcessa ijsdem facultas tutè abeundi. His ita factis ipse Princeps orthodoxam Lutheranam religionem recipiendam destinavit & praecepit, omnia, quæ relictum Papismum lapserunt, eradicavit, quam reformatiōnem ipse quoq; Dux Mauritus & Princeps Georgius in Anhaltinatu approbavit & annuente juxtimq; consilia præbente B. Luthero secundum Scripturam sacram confirmavit. Quam doctrinam adhuc dum purissimè exerceri secundūm Confess. Augustanam & Formulam Christianæ Concordiæ in tota nostra provincia & Patriâ, DEO sit gratiarum actio! & quidem proh DEV M immortalem! fermè solā, nemo, credo, concivium meorum tam erit impius, qui ignoret, & qui non propterea DEO gratias agat. Utq; essent seminaria Ecclesiæ DEI, constituta est ab Electore Fridericō Saxon; Duce cognomine Bellico Academia Lipsiensis, ubi Pragâ discesserunt Musæ anno 1409. 12. Novemb. in vigiliis Martini. Dux Mauritus & Augustus monasterium Misnense, Grimmense & Portense in illustres Scholas mutavit, uti videre est ex hoc Misnæ supra scholæ portam inciso disticho: *Mauritiū pietas, Augustiq; inclita virtus,*

*Hanc CHRISTO & studijs constituere scholam.*

Quæ scholæ illustres quando apertæ fuerint, legi potest ex M. Sebasti. Schröteri Historica Orbis descriptione in circulo Saxon. Super pag. 146. Alsted. in Encyclopæd. p. 2188. Vid. Laur. Faust. Electoral. Stirps pag. 219. & Fabricius in annal. Misn. p. 92. Dress. p. V. Isag. Hist. de præcip. urb. Germ. p. 371. Münster. in Cosm. pag. 312. Volckman. in Inform. Not. in Epist. dedicat. & idem parte IV. Tit. 2. de statu Eccles. p. m. 70.

VII. Vel Politicus; qui agit de Magistratu &  
Republ: Misnia tota subjecta est primario domus Sa-  
xonicæ Imperio.

Hinc Misniæ Marchiones vocantur. Est autem Marchio Princeps, qui præst marchia, id est, limiti, Germanis ein Marggrafe/ quasi li- mitis comes, quem vocant liminarcham ex latino & græco. Sed li- menarcha λιμενάρχης totum Græcum est, vid. Matibias Martini in voce Comos & Gravius. Cuiacius in lib. feud. tit. r. Marchionem Obertus 2. tit. 10. intelligebat esse eum, qui limiti certo regni præ- esset; sed vocabulum à mari inepte deducebat, quod pleriq: limites sint maritimi. Nota est Germanorū vox Marg sive March/ pro limi- te. Annon. s. c. 11. Cæsar reliquit marchiones, qui fines regni tueren- tur & hostium arcerent incursus. Meminit ibidem, antiquâ Germa- norum lingua & Bojariorum & Alamannorum equum militarem March appellari, sed non assentior, inquit, Alciato Marchionem interpretanti præfectum equorum. Vid. thes. V. & Autores sub ea- dem adducti. Item Paulus Diaconus historia Longobardorum quinto. It: Althus. Polit. c. 8: Grafe autem, sive ut alij scribunt Grave dici vide- tur à graue/canus, senex; quales ob experientiam & affectus domi- tos ad judicium præcipue idonei. Hodiè adhuc judices paganos im- Hassia vocant Greven: in oppidis ferè Richtere/aliter Schulttheissen. De Comitisbus plura invenire licet in Lexicis Iurid. Status autem Re- sumpublicarū in Misnia est ferè Monarchicus, utpote qui maximè or- dinatus, diuturnus & omnium firmissimus, uti Politici omnes ad unum probant. Interim videri possunt Phil. Beroaldi. de optimo resp. statu. Patricius lib. 1. d' regno tit. 3. Tholos. l. 5. c. 1. &c. Lipsius l. 2. Po- lit. c. 2. Casius lib. 3. Sphaera civitat. c. 7. Vincenzo Castellan. de officio Re- gis l. 1. c. 1. Hippolyt. à Collibus lib. de Principe cap. 1. Iunius in Quast. Polit. cap. 1. quest. 4. Tandem Homerus Iliad. B. v. 199. & Aristot. 12. Metaph. & 8. Ethic. c. 10. & 3. Polit. c. 5. uti & in 1. de hist. anim. c. 1. Iustin. l. 1. Cie. 3. de LL. Salust. in Catil. Reusner. in hortulo historico- polit. corona 1. flore 16. p. 47. Sirtur: in Compend. Polit. l. 2. p. m. 39. &c. Notandum hic venit omnes Marchiones Misniæ ex Wicikindi Ma- gni stirpe genitos esse, diversis tamen à ramis: Primus autem con- stitutus est ab Henrico, cuius nomen quidem ab historicis taceretur,

arbi-

arbitrariuntur tamen quidam, eum ab avo & genitore, quorum uterque Friderici dicti, nomen hoc etiam sortitum fuisse. *Vid. Faustus in Aetate Misn. p. m. 4.* Præterea unum adhuc de Marchionibus silentio prætereundum non est: Ex ipsis Eccardum principiō ab Ottone II, Imper. Misniam hæreditariè possedisse, postquam Bohemos, qui eam occupaverant, inde ejecit; Quanquam tamen posteri ipsius non diu eam retinuerunt, etenim non multò post Werthini & Sorbeccæ Domini originem suam trahentes à Witikindo Duce Angariæ & Westphaliæ, Saxonum Duces eam in feudum acceperunt. *Vid. Reusnerus in Orig. Misn. p. 215.*

**IIX.** Sic fuerunt status superiores; sequitur inferior, qui est Oeconomicus; Misnia laudatur à soli fertilitate, ædificiorum commoditate, & civium comitate.

Primum quidem tristis fuit adspectu terra, sed jam (Deo laus) ita exulta est, ut propter ubertatem & fertilitatem soli eam *Faustus* cum Canaan terra benedicta comparare haud veritus fuerit. Ut potest ubi

*Flumina jam lactis, jam flumina Nectaris ibant.*

*Flavag, de viridi stillabant ilice mella.*

*Ovid. Metam. I. f. 3. v. 23. Exod. 3, 8. vid. dictus Faustus pluribus in Stirpe Elector. p. m. 6. & 7.* Cùm igitur terra fœcunda sit, frumento & metallis abundet, magna est in ea multitudo hominum, urbes multæ, aliæ tamen aliis majores & ornatores, arces & pagi plurimi. Elegaria vero ædificiorum tanta, ut plerasq; Germaniæ partes hâc laude supereret. Hoc decus multas virtutes complectitur: nam ubi cura est recte ædificandi, ibi necesse est & multarum artium artifices esse, & naturæ hominum dociles. Deinde per se virtus est intelligere & amare ordinem & elegantiam in ædificando. Non loquor hâc de luxu aut immodico splendore, qui non potest esse multorum, sed de communi mediocritate hominum consuetudine, qui in omnibus oppidis in hac regione plus adhibent artis in ædificando quam implerisq; alijs Germaniæ partibus. Est etiam justitia quædam valetudini inservire, quam ad rem opus est distincta esse habitacula puerarum, ægrorum, turbæ domesticæ, &c. Deinceps prudentia est distinguere loca suppellestili & cæteris rebus destinata. Non in ijs-

Bem habitaculis panni, vestes, frumentum, vina, &c. servari possunt nisi quis probet vitam nauticam aut Hamaxobiorum consuetudinem, qui totam rem familiarem in plaustris vehunt, ubi distinguunt non possunt stabula, focus, cubicula & ceteræ partes domus, is *Grylio* similis est, qui à *Circe* in porcum mutatus, recipere hominis figuram noluit. Cognitio de naturis, ingenii & moribus Misnicorum negligenda etiam non est: Hæc enim præcipue consideranda sunt, sicut & *Homerus* monuit, qui Ulyssem ait non tantum urbes multas vidisse, sed etiam judicia & mores hominum cognovisse. Formæ corporum non deformes, non horridæ sunt, & ingenia sunt ad disciplinam, ad Virtutem, ad doctrinas & ad alias honestas artes idonea. Manifestum præterea est & mundicie hanc gentem antecellere aliis Germanis, quæ & ipsa per se est Virtus, posita in delectu rerum naturæ convenientium, & ordinis conservatione, & nutrix est multarum aliarum virtutum, sedulitatis & frugalitatis: Excitat enim eum res naturæ convenientes eligendi & metuendi, & præbet assiduas operas, cum ornantur domus, lecti, vestes, & reliqua suppellex. Ingens verò decus in hac domestica consuetudine est Matronarum modestia, quæ Oeconomiam præcipue gubernant: Et earum exempla filiæ intuentes, & ad agnitionem DEI, adq; bonos mores & scientiam œconomicam assuefiunt, uti habet *Melanchth.* de gente Mis.  
p.m. 221. & 225.

*IX. Sic fuit Misnia in genere descripta; sequitur in specie DRESDA summatim: Quæ describitur universim. DRESDA excellit inter omnes Misniae urbes.*

Sive enim species magnifica ipsius ædificia, nullam scio, quæ præter Lipsiam cum eâ possit comparari. Arcem tam pulcram & amplam ex solidis quadratis lapidibus ad amussim fabricatis nullibi videbis, nisi Königsteinensem ob inexpugnabilem & inaccessam scopuli firmitatem eidein anteponas; Si amoenitatem loci & fertilitatem agri intueare, dubito, an ullam invenias; Si munitionem ipsius consideres, primatum manifestè ostendit, circumincta enim mœnibus & fossis profundis aquis impletis & stagno, vallo itidem altis

altis pinnis & compositis cespitibus ad cœlum usque adstructis, qui ostendit tormenta plurima & magna, ut horrorem incutiant cernenti, nedium sustinenti : Si respicias artificialia, quorum in se continet innumerabilem copiam, nemo, quod scio, hominum erit, qui non totō thylaco concedat, eam universæ, non dicam Misniæ, sed Germaniæ antecedere Camerâ suâ artificiorum & stabulo, der Stall und Kunst-Kammer ubi præter artem fabricationis, quæ excellentissima est maxima auri argentiq; adsunt pondera. Quid ? quod si æstimes. — munera letitiamq; DEI, nullus ambigo, quin ipsa bacchata jugis Naxos, Æn. 3. v. 125. vitibus, quibus mea Dresdena ad tria millaria largiter superbit, exsuperetur, &c. de quibus omnibus suô loco, breviter tamen, agetur.

X. Et membratim ; vel per definitionem, vel per divisionem ; per definitionem tum nominalem : Dresdena sive Dresena dicitur, quasi Dreh See.

Propterea q; quidam Dresena, quod quidem ad hanc derivationem proprius accedit, scribere malunt, à tribus stagnis & lacubus vel Dreh See/qui in hunc diem reliqui sunt. Dresdena vero Slavorum lingua significat locum irritationis seu provocationis ad pugnam. Cumque certum sit ante & post Carolum Magnum hæc loca inter Albin, Salam & Sudetes montes à Slavis culta esse, dubium non est adèò magnum, quin Dresdena etiam ab iisdem nomen apta sit. Ratio autem appellationis ex historia reddi non potest, nisi quod olim in locis præliorum condi urbes & castella memoriae causâ consueverint. Et hæc quidem ratio est, cur hæc urbs Dresdena, germanice Dresden vocetur, & ita scribatur. Locus ipse in historiis Nisen vel Nisic vocatur, ex quo Prælatura quædam in Ecclesia Misnensi Nisicensis appellata, & qui eam tenuit Archidiaconus Nisicensis dominus est, uti habet Dress. part. V. de præcip. Germ. urb. pag. 202. Hic loci notandus quoque est Situs ipsius Urbis, & Elevatio Poli, cuius longitudo Grad. 31. min. 31. latitudo grad. 51. min. 0. Vid. Alsted. in Encyclop. 1128. Langius in Elementali Mathematico p. 374.

XI. Tum realem ; Dresdena est urbs munitissima, sedes Ducum & Electorum Saxoniae, jacens ad Albim intra Pirnam & Misnam.

Sita

Sita est Dresda in radice Sudetum montium ad Albim, uti probat M. Schröter in hist. totius terrar. Orbis descript. p. 143. Urbs est munitionisima, fortalitio omnium ferè Germaniae celeberrimo splendens: *ut in idem pag. seq.* circumincta est muris altis atq; firmis validis & propugnaculis fortissimis, milibus multis & tormentis maximis undiq; defensa, aquis in profundis fossis undiquaq; circumfluxa & stagno. Propter hæc & loci amoenam sanitatem Duces & Electores Saxon: præ cæteris ampliss: suarum ditionum munitis castellis hanc urbem sibi ad perpetuam sedem elegerunt, *vid Theatrum Urb. parvum M. Abrah. Sauri p. m. 234.* Distat à Pirna versus Orientem duobus, & à Misnia versus Occasum tribus milliaribus.

XII. *Vel per divisionē; tum in partes, tum in status; in partes: ubi est Dresda vel Vetus, vel Nova.*

Ita eam ipsa natura distinxit in duas urbes, scil. in veterem & novam, quæ Albi fluvio navigabili se junguntur; ponte autem insigni lapideo conjuguntur. Ac vetus quidem Dresda Lusatiam, nova verò Misniam spectat. Vetus omnino à Slavis condita esse videtur, qui ante Henricum Aucupem loca ad Albim incoluere. Postquam verò Hunni irruperunt, necessitas coëgit Imperatorem castra quædam & oppida exstruere ad prohibendas irruptiones & arcendos hostes necessaria. Hanc verò causam conditæ veteris Dresdæ fuisse consentaneum est: Ex eaq; novam Dresdam tanquam coloniam esse natam, *vid Schröter in hist. descript. Orbis p. 144. Dress. d. l. p. 203.* Et ne qua controversia esset inter veterem & novam Dresdam, utraq; in unam formam Reip. redacta est, ut in tempus reliquum idem utriusque esset Senatus, idem jus & sigillum, *Dress. d. l. p. 218.* Exigua quidem fuit primum Nova Dresda, sed incrementa ipsi dies attulit, quæ in hoc usque tempus tanta sunt, quanta vix in alia urbe reperiuntur, de cuius multifaria amplificatione, infortuniis, irruptionibus hostilibus & incendiis videri potest inter cæteros, *Dress. de præclar. Urb. Germ. in descript. ipsius Dresdæ.*

XIII. Consideratur autem utraq; Dresda quo ad ædificia; quæ sunt triplicia; Ecclesiastica, Politica & Oeconomica. Ecclesiastica: ubi sunt Templæ, Consistorium & Schola,

Tem-

Templorum intra & extra urbem sunt 9. in veteri Dresda est unum. Ad Novam pertinent reliqua 8. unum in Arce cuius jam ante inchoatam structuram Augustus Anno C. 1554. absolvit, *Dress. p. 213.* Tris in urbe, ut ad *S. Crucem*, quod conditum scribitur Anno 1229. ex superstitione quâdam S. Crucis in Albi repetræ; vel, ut alij arbitrantur, ù Constantia Leopoldi Archiducis Austriae Filia, Heinrici Illustris Marchionis Misniæ & Lusatiae conjugi, particulâ quâdam S. Crucis Dresdam allatâ. *Dress. 206.* Factam in hoc templo permutationem cultûs divini, *vide alleg. l. pag. 208.* Crematum est anno 1491. cum dimidia urbis parte: factô incendii initio à pistoris cujusdam domo, quod ventorum vi agitatum & longè lateq; diffusum est, die Mercurij post Viti. *ibidem 214.* restauratum & perfectum 1499. magnos sumtus Alberto Sax. Duce conferente, *ibidem 214.* & seq. Altare hujus ædis novum conditum est anno 1570. causâ honoris & recordationis Christiani Comitis Oldenburgici, qui Dresdæ eō annô mortuus est. Itaq; adjectum quoq; est insigne & imago illius tanquam in Epitaphio versus Septentronem. *Dress. p. 219.* Alterum est templum *S. Mariæ* in novo foro, quod initiatum est Anno 1499. *dicitur Dress. p. 215.* ibi est cœnobium, ubi pauperes mulierculæ alantur, & locus communis, uti *Plautus* meus habet, sive cœmiterium civium & inquilinorum multis venustissimis epitaphijs referunt. Tertium est *Templum Sophiae*: anno circiter 1602. templum Minoritarū Senatus diligentia reparatum, eiq; in inauguratione Sophiæ nomen inditum est, *Sophia* vero Electoralis vidua pientissima sumtus refudit, templumq; elegantissimè aliaq; ex solido marmore & lapide alabastræ confecta exornavit, *Dress. d.l.p. 221.* & seq. Quatuor itidem extra muros, ubi est ædes *S. Johannis* in suburbio Puppitz ante *Pirnensem*, ibi est sepulchrum pauperum civium & rusticorum vicinorum. Tum est *Capella* sive *edicula* *S. Bartholomæi*, der Pestilens-Spital, inter suburbia Puppitz & Fischersdorf, hujus fundator esse videtur Dn. Nicolaus Episcopus Constant: *Dress. p. 207.* qui Dresdæ sepultus est anno 1391. ædificata est iterum de integrō 1519. atq; elemosynis donata & aucta. *idem p. 215.* Laude quoq; digna est fundatio Xenodochij ad *S. Jacobi* ante urbem, quæ anno 1536. a Georgio Duce facta est. Nam & novum illud exterrendum curavit & redditibus ita locupletavit ut centum pauperes, qui vel ætatis vel infirmi-

C

tatis

tatis causā sese sustentare nequeunt, in eo alantur ad omne vitæ tempus, translatis ad id etiam Veteris Xenodochij redditibus, quod exustum erat tum temporis, & negligebatur propter abolitas peregrinationes ad Jacobi Compostellam. Tandem deniq; est templum extre-  
num ad D. Annam extra Wilsdorffianam ad Weisserium fluvium cum sepulchreto exstructum. Hæc subsequuntur Scholæ, quarum  
præcipua est in N. Dresden ad Crucis templum, cui CL. M. Joannes  
Bohemus antè Præceptor meus multò honorandus pro tempore  
Rector digniss. suam fœneratur lucem. Tum est una in V. Dresden &  
certia extra Wilsdorffianam ad Templum D. Anne.

XIV. *Ædificia Politica sunt quadruplicia, r.  
Informatoria, 2. Judicialia, 3. Defensoria, 4. Amæna & mixta.*

1. *Informatoria* sunt *Cancellaria*, ubi præter judicium Electo-  
rale & Appellationum etiam est Protosynedrium Ecclesiasticum æ-  
des splendida ad arcem erecta. Hanc ædificavit Elector Augustus,  
anno 1567. uti habet Faust. in Act. Missn. p. 3. 2. *Judicialia*: ubi est  
*Curia* in foro veteri, amplum & magnum ædificium. Tum & carce-  
res multi, secundum delicta sotium, civiles & tenebrosi, ut das  
*Stockhaus/der Ränsel/ &c.* 3. *Defensoria*. Ubi est primum *Arx* sive  
sedes Electoralis. Hanc ex quadratis ad amusim cæsis lapidibus  
magnis sumtibus Georgius Dux Saxon: ædificare incepit anno 1537.  
quam Elector Mauritius auxit & ampliavit multis Electoralibus pa-  
latiis, aulamq; absolvit anno 1551. *Vide Savorum in Theat. urb. p. m.*  
234. *Dress. d. l. p. 217.* Postmodum sunt *Turres*, quarum una in ar-  
ce, una in templo Crucis, undē & nomen suum fortita est, *der Creuz-  
thurm/ Quæ turris*, cum exusta esset anno 1491. altius evecta. *Turris*  
est fortissima & cuspidibus tribus condecorata. Notandum hīc,  
quod in summo globo, auf dem Knopfe/ sub ingressu Imperatoris  
Ferdinandi quidam captivus cum præsentissimo vitæ periculo lætus  
vexillum vibravit. *Vid. Dress. d. l. p. 214. & seqq.* Tum est *turris ro-  
unda crassa*, *der Pulverthurm/ quæ conspicitur in arcis aditu* (uti  
etiam turricula in æde Mariæ) ædificata est anno 1528. nomen habet  
a contēto pulvere nitrato, quem in magna copia inibi reperiri ajunt.  
*Maria*, quibus circumincta est urbs, admirandæ sunt altitudinis &

magni-

magnitudinis, tresq; ex ijsdem portæ claustris, valvis, repagulis & cararaetis munitæ parent. Deinde est hoplorbeca sive *Armamentarium Electorale*. Hoc ipsum multifatiis armaturis, tormentis, bombardis, globalis plumbeis & lapideis plenissimè est adauctum, ubi etiam sunt loricæ, galeæ, cassides, scuta & clypei, ancilia, unci, harpagones & quæcunq; sunt ad bellum necessaria, adq; munitionem totius Exercitus requituntur, abundanter inveniuntur. *Vid. Sauer. in theatr. Urb. pag. 234.* ubi dicit : Wenn ich von den Falckenetens/ Schlangen/ Mauerbrechern und vergleichchen schweren Geschüzen/ auch von ihrer Schöne und Größe wolte schreiben/ fürchte ich/es wür den et- Ich/ so solche herrliche Kriegesrüstung nicht gesehen/ vermeinen/ ich rede- te neben der Wahrheit. Haec ait petegrinus Franckenbergensis, quid? si ego, ut qui Patricius, multò magis mendacia loqui crederet? Ast hoc cum ipso Sauero re verâ attestari debeo, nullum in tota Germania armamentarium, quod huic comparari tantum, nedum anteponi possit, inveniri. Deniq; sunt etiam amæna & mixta : ibi ad armamentarium est domus fusionum, das Gieshauß/ ubi magna tor- menta bellica &c, funduntur; primum autem fusum est anno 1477. & Quedlinburgum, cum obliteretur, transvectum, uti habet *Dress. d. l. p. 213. Fabric. in annal. p. 68.* Est etiam ibi locus fabricandi mate- rias, der Zimmerhof/ quô locô, quæ ad Electoralia ædificia pertinent, plerumq; cæduntur. Est ibi quoq; mercatus Salis, das Salschauß. Tum est ΓαυμαλοζεζοΦυλαζιον, die Kunstkammer/ in ipsa quidem Arcæ, quæ tanta in se continet artificia, ut qui videt, non crediderit huma- nam mentem talia posse excogitare, nedum perficere : Et Stabulum, quod in inferiore domo continet caballos in magna frequentia ali- quo centum generosos. In superiore vero cameras habet, ubi multa mira habentur, ut sunt : Veste, decoramenta equorum, ephippia, scavæ, cristæ, gemmæ, enses, ipse etiam Ensis Electoralis, sclopætum primum, das erste Pistol ipsius Monachi &c. plurima, omnia auri atq; argenti pondere pretiosissima. In introitu totam stirpem Electorū ac Ducum Saxon : in virili statuta depictam videre licet. Hoc ædificium stabuli, uti etiam hoplorbeca, arcis cōtingui instituit Christianus I. Augu- sti Filius & Successor, an. 1587, *vid. Dress. p. 220. & Faust. p. 5.* Monet- æ strudura, die Münze/ ad stabulum condita omnem monetam E- lectoralem, quam videre potes unica in magna copia procudit.

C 2

Stabu-

Stabulo etiam vicina est domus brutorum, das Löwenhaus, ubi rara & varia pascuntur bruta animantia. Deniq; sub ipso vallo est artificiosissima domus das Lusthaus, quæ ex nobiliss. marmore composta, tecta cupro viridi & intus viventibus, ut videntur, picturis venustata est, unâ facie Albim, alterâ fossam urbis, den Stadtgraben, cœteris ambabus urbem respicit. In veteri urbe Dresda est domus venatoria, das Jägerhaus, insigne etiam ædificium, ibi odoratores, vertagi plurimi, casles & plagæ, venabula, currus &c, reservantur, atq; ursi &c, bruta plurima aluntur. Ultimò hîc omittendus non est egregius Pons supra Albim, quô vetus & N. Dresda combinantur, longitudine reliquos in Germania facilè superat: passus enim 500. vel cubitus 600. & ultra: fornices verò sive arcus 24. continuit, de quibus 5. propter arcis ampliationem decesserunt. Ædificari cœptum esse existimat Melchior Mathesius, anno 1070. ex materia von Holze addit Laurentius Faustus in actis Misn. Verisimile est quidem crescentibus redditibus ex argentifodinis Freibergens. anno 1175. Ottoneum cognomēto Divitem non parum ad structuram hujus pontis attulisse. Ex quo nonnulli tempore Henrici Illustris circa annum 1222. deniq; perfectum esse opus autumant: quoquô modô se res habeat à Marchionibus Misnæ certum est & susceptum & effectum esse opus hoc præclarum, nullis vel Pyramidibus vel Colosis veterum postponendum. Vid. Dress. d. l. p. 205. & seq. Laur. Faust. in actis Mis. p. 56. & in Stirpe Sax. p. 152.

#### XV. Ædificia, deniq; Oeconomica faciunt vel ad victum, vel ad amictum.

Ad amictum pertinent tum domus ubi panni exponuntur, das Gewandhaus, in novo foro, tum etiam forum scrutarium, der Tredel, ubi sæpè pretiosæ vestes vendibiles videntur. Ad victum & vel ad escas pertinet, tum granarium, das Provinthaus, tum macellum, die Fleischbänke, tum etiam scamna pistoria, die Brodtbänke, & popina, die Garküche. Vel ad potum: ubi cellæ sunt cerevisariae binæ in V. & N. foro. Vinum exterum & domesticum vendunt in privatis quisq; domibus. Tum etiam sunt salubres fontes & aqueductus ex Auvio purissimo. VVisseritzio ultra mille gradus ab urbe in valle Plaviensi, in dem Plauischē Grunde, loco tamen saluberrimo quam amœnō suscepti artificiosè, maximis sumtibus ligneis & plumbeis canalibus in urbem.

bem derivati, exinde plurimi, plus tertia parte, civium domi sua propria aquam tam hyemali quam aestivali habent tempore.

**XVI. Aedificia majora & private sequuntur publica privata; Hæc sunt domus Civium.**

Quarum una quidem major est structa atq; eximior splendorre quam altera, pro incolæ opulentia, interim tamen plurimæ ex lapide exstructæ & tegulis lapideis omnes præter pauculas teatæ ab incendio defenduntur. Numero sunt circiter 900 in N. in V. Dresda circiter 300.

**XVII. Sic fuerunt partes urbis; sequuntur statutus; quorum aliis superior, aliis inferior; Superior est vel Ecclesiasticus vel Politicus; Ecclesiasticus ubi est Consistorium & Ministerium.**

Institutum est à Duce Sax. D. Mauritio rationibus justis & necessariis judicium Ecclesiasticum Misnæ: anno autem 1580. secundum ordinationem novam Dresdam translocatum est. Iis ergo, qui consistoriali Officio funguntur causæ matrimoniales, controversiæ Ecclesiasticae, judicium de doctrina & Sacramentis, cognitio de hæresibus, examinatio Pastorum, eorundem confirmatio & rejectio, censura de eorum vita & moribus, Principis Illustriss. gravi & severo mandato tradita sunt & commissa. Conventus autem Theologorum aliquot fuerunt Dresda, diversis tamen temporibus sunt habiti. Vid. Fabric. in annal. Misn. pag. 93; Faust. in Stirpe Saxon. p. 270. Dress. d. l. pag. 219. & seq. Pro tempore Praeses est Nobilissimus Friederich Meßsch. Theologi D. Jacobus Weller & D. Aegidius Strauch/Supintendent. J. C. D. Tüntzelius & D. Köppelius. Ministerium habet in universum Concionatores 12. sex ad S. Crucis, 3. in Bafilia, duos in V. Dresda, & unum ad D. Annæ.

**XIX. Vt est Politicus; Ubi est Magistratus, qui vel superior; Ipse Elector cum Consiliarijs: vel inferior, qui est Senatus.**

Est enim Elector Regionis Misniæ Marchio, & pars ipsi Provincia, cum superiore non agnoscat. Hunc subsequitur.

tut Ampliss. Senatus, ad quēm res civiles deferuntur, si autem non ad eum pertinent, ad Electorem, tanquam summum Magistratum, devolvuntur. Anno 1444. Fridericus II. Sax: Dux, Imperij Septemvir suō & Fratris Wilhelmi nomine Prudentissimo Senatu*s* Dresdenſe jurisdictionem concesſit, cō pactō, ut annis singulis certam pecuniaſe summam persolverent, nec ullā in re quenquam præter jus & æquum gravarent. Anno 1484. Elector Ernestus & Albertus Sax: Duces eidem Senatu*s* Dresdenſe concesserunt jurisdictionem in urbe & suburbīs superiorē & inferiore*m* cum pactō censūs anni ex-solvendi & tempore quovis hoc ipsum jus revocandi, prout habet Dress. d. l. p. 212. & 214.

XIX. Et subditi ; Qui utriq; magistratui dicto obediunt.

Et ita quod ipsorum munera est exsequuntur & propter quod Reip. Privilegiis fruuntur. Anno C. 1285. ab Henrico Marchione Misniæ & Osterlandiæ legibus munita est Dresden, edictumq; ne cui venderetur area vel domus in urbe seu suburbio quocunq;; qui iura municipalia tenere nollet, quod adhuc dum observatur, Dress. serus pag. 206.

XX. Sic fuit status superior; sequitur inferior;  
Qui consideratur partim extra mœnia, ubi Dresden  
est amœna locō.

Etenim aspectu hilariſ & beata est ipsa Dresden, quia habet fluvios Albini, alias Albiam dicā Elbe quasi elſe ab ii. fontibus si-vē rivulis, ex quorum confluvio in Bohemia in silva Hercynia oritur, Alsted. in Encyclopæd. pag. 1139. Fabricius in Annal. Misn. numeratis istos fluvius ii. pag. 16. & seq. & VVieſſeritzium à scopulis disruptis, quibus interabitur, quasi weise Niße/ qui fluvius cives, ut supra dictum, potat; Aerem leviter & leniter locus spirat mitem & salubrem; Fertilitatem ostendit ager undiquaq;, hortos habet tamen fœcundos quam jucundos; Exempli loco uos esse potest Hortus Dresden, der Herzogin Garten/ ante VVilsdorffianam, qui quamvis Martialis, Entelli aut Hesperidum hortis, de quibus Lucanus lib. IX. v. 360. & seqq. Martial. lib. IV. Epigr. 64. & lib. IX. Epigr. 68. similis non sit, talis tamen est, ut habeat delectationem, & ut Patriam com-mens-

mendet, nobilitetq; Dominum: Nostrum cœlum non esse aspernum  
aut horridum, terram non infrugiferam aut inhospitalem, hic ipse  
horum docet, multis plantis consitus peregrinis, sīnu atque gremio  
herbas fovens & benignè producens flores amœnissimos, juxtim q̄s  
animalia bruta ex vimine juniperi contexta æstate in ambitu viren-  
tia. Quid? quod teneat in confinio amœnas sylvas, & ne montes es-  
sent steriles ipse Bacchus dona sua ibi dispertitus est in utrāq; parte.  
Laudatur autem præprimis *Vinum* quod nascitur in agro & monti-  
bus Kotschenbrodae ditis & nobilis pagi versus occasum in ripa adver-  
sa unō ex indē milliari, denominati ita à trajectu, id enim Brodalin-  
guā Vandalorum designat, *Fabric. in annal. Misn.* p. 16. Est itaque  
nobilissima *Dresda* fluminis navigabilis commoditate, collum cir-  
cumfusorum vini fertilitate, hortorum amœnitate, agrorum fruga-  
litate, aëris temperati salubritate cultoribusq; opportunissima.

## *XXI. Partim deniq; intra mœnia; ubi merca- tus & opifcia.*

Cum anno 1447 impensas magnas in exornanda & munien-  
da Urbe, tum in expeditionibus à Principe susceptis *Senatus* fecisset,  
petiit ab Electore Friderico, & impetravit etiam Privilegium exo-  
nerationis seu depositionis mercium, salis, piscium, mellis & alio-  
rum, quæ in Bohemiam importari solent. *Mercatura* autem pau-  
ci dant operam: agros namq; colunt diligentius atq; uberiū &  
sunt tranquillitatis amantissimi. Exercent cum industria & perite  
ea quoq; opifcia, quibus communis vita & hæc civilis societas care-  
re nequit. Præprimis laudantur cultri, quæ sub vallo in der Fr. Mu-  
ter Hause ceduntur & hinc indē distrahuntur. De his dictis & di-  
cendis omnibus vid. *Fabricius in annal. Misn.* p. 18. & cœteri autores  
hinc indē allegati.

Cumq; non detur vacuum pagellæ, sublata sunt, quæ addita fue-  
rant, Elogia *Misnia* & *Dresda* carminicè decantata; Si quis autem est,  
qui novisse velit, inveniet ea ipsa in *Bocero* & *Hantzschmanni*.

*Cupressu Saxonica*, quò cupidum harum rerum Le-  
ctorum remissum volo.



Ceu

**C**EuMater *mammas* præbet, sic Patria *mastos*,  
Ex quæis nutritus fugitur omne genus.  
**C**illa quidcm primùm, sed cœteræ Patria præstat;  
Ut vel Matre cluat Patria chara magis.  
Ulysses testis: NITSCHMANNUS & insimul: He  
Vult Ithacam, *Dresdam* laudat at ipse suam.  
Hoc in uterq; pius; mage sed cui Misnia magna,  
Et cui *Dresda* caput dicitur esse suum.  
Si queris quænam sit sedes Saxonis, aula,  
Cor, Charis, Ara, Themis? Singula *Dresda* tenet.  
Est quia Saxoniam Ducis Electoris Olympus;  
Est quia Teutonici totius orbis honos.  
Pluribus ut *Mastus* NITSCHMANNI publicat. Ipse  
Porrò sugat! Eum Nectare plenus alet.

# GUEINZIUS.

**M**ISNIA Germanæ meritò pars optima terræ,  
Sive solum, mores, sive idioma velis.  
Instar Amaltheæ, distentis ubere mammis  
Sugere dat civi lacq; merumq; suo.  
Artes quid memorem, queis Misnia tota superbit?  
Ceu vel sola satis Dædala D R E S D A probat.  
Felix, cuī tali contingit climate nasci,  
Et patriâ celebri sugere lactis opus!  
**N**ITSCHMANNUS luit; Patriæ qui didere laudes  
Nititur, & Mastum fugit amatq; Sophum.  
Sugere sic Peithūs mammas, sic perge Minervæ,  
**N**ITSCHMANNE, & Patriæ civis honorus eris.

åueλεισ' fundeb:  
**M. FRID: CAHLE NUS,**  
Poët, Cæsar, Con-Rektor,

# F I N - I S.

h.74,27.

M I G E N  
D R S I  
aus

CHRISTIAN  
Acroaterij Hall  
ptore & P

GOTHIC  
DR  
*Ad diem 23. M*  
*Mastus à muagos*  
*pro poculi*  
*Vid. Inl. Po*  
*Steph. in L*  
HALLIS, è Ch

